

## ADDITAMENTA.

### AD PRAEFATIONEM.

P. 5. Inter copias a Claudio in Britanniam deductas etiam legiōnem VIII Augustam aut integrum fuisse aut certe vexillationes eius Henzenus nuper (*bullettino* 1872 p. 100) non sine probabilitate conclusit ex titulis duobus Taurinensi altero diu iam noto (Orell. 3568), qui positus est *L. Gavio* cuidam *L. f. Stel(latina)* *Silvano*, *primipilari leg(iōnis)* *VIII Aug(ustae)*, *tribuno coh(ortis) II vigilum*, *tribuno coh(ortis) XIII urban(ae)*, *tribuno coh(ortis) XII praetor(iae)*, *donis donato a divo Claud(io) bello Britannico torquibus armillis phaleris corona aurea cet.*, altero nuper Suasae in Piceno reperto, quem Bormannus noster edidit (*ungedruckte lateinische Inschriften*, Berlin 1872 4., p. 19 s.), posito illo *L. Coiedio* *L. f. Ani(ensi) Candido*, *tr(ibuno) mil(itum) leg(iōnis) VIII Aug(ustae)*, *III v(iro) capital(i)*, *quaes(tori) Ti. Claud(ii) Caes(aris) Aug(usti) Ger(manici)*, *quaes(tori) aer(arii) Satur(ni)*, *cur(atori) tab(ularum) p(ubli)cārum*), de quo haec praeterea adduntur in eodem titulo: *hunc Ti. Cl(audius) Cae(sar) Aug(ustus) Germ(anicus) revers(um) ex castr(is) don(is) m[ilit(aribus)] don(avit) cor(onis) aur(ea) mur(ali) val(lari), hasta [p]ur[a] e. q. s.* Atque Silvanum quidem in Britannia dona illa honorifica meruisse cum tribunus esset legionis octavae inde sequitur, quod cohortes II vigilum, XIII urbanam, XII praetoriam ei bello interfuisse sane minus probabile est. Itaque quanquam in Candidi titulo quibusnam ex castris reversus homo ille dona acceperit tacetur, cum legionem octavam Claudi imperante ad aliam expeditionem avocatam esse aliunde non constet, probabiliter sane etiam Candidus in Britannia legione octava militasse credetur. Ceterum per se consentaneum est ad bella Britannica in primis adhibitas esse copias in provincia maxime vicina, id est in Germania, tendentes; nam a Mogontiaco legio vel legionis partes navibus impositae facile in Britanniam perveniebant. Unde non mirabimur etiam inter copias ab Hadriano in expeditionem Britannicam deductas fuisse praeter

vexillationem miliariam legionis VII geminae, quae in Hispania tendebat, item miliarias duas VIII Augustae et XXII Primigeniae Germanicarum; quod docui testimonio usus tituli Ferentinatis (apud Henzenum n. 5456), cuius in praefatione non memineram, in praefatione ad vallum Hadriani (*supra* p. 100). Memoria in ipsa Britannia legionis VII nulla quantum scio superest, reliquarum duarum tenuis in titulis n. 300. 495. 846, ubi vide quae adnotavi. Legionis autem VIII titulos illos (n. 300. 495) ad Hadriani, non ad Claudii expeditionem referendos esse vel illud docet, quod Claudii legatos eo locorum versus septentriones processisse, ubi inventi sunt, neque traditum est unquam nec facile quis sibi persuadebit.

Ibidem paullo ulterius ubi dixi ultimam legionis vigesimam in Britannia memoriam exhibere nummos Victorini et Carausii imperatorum, oblitus eram versuum quorundam Claudiani, qui sunt de bello Getico v. 416 ss.,

*Venit et extremis legio praetenta Britanni,  
Quae Scoto dat frena truci, ferroque notatas  
Perlegit eisangues Picto moriente figuratas.*





Nam cum tres legiones in praetenturis Britanniae septentrionalis collocatas fuisse certum sit inde fere a Severi tempore II Augustam, VI victricem, XX Valeriam victricem, duae autem priores notitiae tempore stativa habuerint Eburaci sexta, secunda Rutupiis, vigesima sola restat quam a Stilicone tum avocatam esse conicere licet ex stationibus valli Hadriani. Itaque quamvis non diserto quodam testimonio, sed ratione tamen probabili efficitur, ad extrema fere provinciae tempora etiam vigesimam legionem in Britannia permansisse.

Ad tabulas geographicas, quas p. 12 recensui, accesserunt nuper Caroli H. Pearsonis (*historical maps of England, during the first thirteen centuries with explanatory essays and indices*. Ed. altera Londinii 1870 fol.).

### AD TITVLOS.

Ad n. 1 (p. 13). Patellam plumbeam illam servari Oxonii testis mihi est Augustus W. Franks; sed peritam eius lectionem nondum nanctus sum.

**1338 a** (inserenda post n. 9, p. 16). Fragmenta varia reperta in effos-sionibus institutis a duce Wellington per antiquarium loci, I. G. Joyce. a repertum est a. 1868 in parietinis eius quae creditur fuisse basilica; b a. 1869, c d a. 1871 in foro.



I. G. Joyce misit perhumaniter Carolo Schulze, is mihi. Joyce in a latere putabat memoriam [Cal]le[vae, ci]vit[atis Atreb]ati[um...]; necessitate nulla. In c potest latere nomen *Civilis*.

VII

Ad n. 11 (p. 18). Si v. 5 N re vera in lapide est, non N, ut omnes ex ceperunt praeter Galium et me, poterit etiam solvi munericus indicatio, quae tot movit difficultates, ita

*r(egis), legat(i) Aug(usti) n(ostr)i Brit(anniae).*

Nam N compendium positum esse pro genitivo *nostri* in eius temporis titulo vix credi potest.

Ad n. 17 (p. 20). Pro *Funlington* scribe *Funtington*.

Ad n. 21 (p. 22). In subscriptione ante *Roman London* cet. exciderunt scriptoris nomina *C. R. Smith*.

Ad n. 30 (p. 23). Fabius Alpinus ille *classianus* fortasse miles olim erat classicus sive classiarius. Unde vocabulum quanquam haberi potest pro cognomine, inter quae (ut Julius Classianus docet procurator Augusti in Britannia sub Suetonio Paulino legato, cf. Tacitus ann. 14, 32. 38) recensui, tamen prorsus omittere nolui in indice rei militaris.